

**Q**uo plures Cornel. Tacitus cum superioribus saeculis, tum nostra praecipue memoria nactus est interpretes atque aestimatores, eo magis mirum videatur necesse est, in diiudicando libello, quo **Julii Agricolae** vita continetur, adeo dissentire inter sese viros doctos, ut, quum alteri eum efferant laudibus, neque quidquam hoc opusculo, ut **Junman. Bekkeri** verbis utar, vere diserto, vere prudente, perfectius habeant, alteri, quamquam de vitae auctore non dubitent, ad orationis conformatio[n]em et compositionis artem quod attinet, proprium illum scribendi colorem præclarasque historici virtutes, quae iudicio omnium in Tacito excellunt, haud paucis locis desiderent. Quid, quod nuperrime vir doctus, quem in Taciti scriptis volutatum esse commentationes ab ipso exhibitae documento sunt, \* ne in iniquiore quidem illa sententia acquiescendum esse iudicavit? Qui et genere dicendi et singularum partium iunctura totiusque operis argumento et forma diligentissime perpensis suspicari se professus est, libelli illius auctorem nec diligentem in tractandis rebus, nec probum semper in ipso orationis genere, nec felicem admodum in exhibendis sententiis, quas aut assidua aliorum scriptorum lectione sibi vindicasset, aut vitae suae ratione et conditione reperisset, rhetorem aut grammaticum quandam esse, qui delectatus dicendi genere, quo Tacitus in **Annalium et Historicorum** libris usus esset, imitator huius scriptoris exstitisset.

Ac profecto, si quis ad hanc vitae adumbrationem tanquam ad artificium, certis et definitis terminis circumscriptum, regulam et libellam adhibere et ad eam vel ingenii vel orationis imaginem, quam ex Taciti lectione sibi finxit animo,

---

\* Observationes in difficiliores quosdam Corn. Taciti Annal. locos. Suidnicii 1837. Commentat. de Cn. Jul. Agricolae vita. Scripsit Dr. Julius Held. Suidnicii 1845.

singula quaeque revocare et de suo sensu iudicare voluerit, fieri vix potest, quin sit deprehensurus, quae dubitationem movere possint. Nam ut omittam varia viorum doctorum de proposito scriptoris rerumque tractatione iudicia minutasque non-nullorum in ponderandis dictionibus subtilitates: ex magno locorum numero, in quibus expediendis interpretes desudaverunt, supersunt etiamnunc, qui obscuritate laborant atque ita sunt comparati, ut difficultates non tam brevitatis studio, nec rebus ipsis, quam manu aut nimium festinanti aut in eo scribendi genere non satis exercitata, creatas esse suspiceris. Quae scripturae conditio etiamsi moram lectori et impedimentum afferat, ne tamen ad iniuriam proripi te patiaris et de libello multis numeris laudando et oblectationis pleno suspicionibus iudices, admonent duo in primis viri, quorum alter, *G. L. Walch*, duodeviginti abhinc annis nimio fortasse amore et studio, nec frustra tamen, enisus est, ut, quae obiecta essent ab acrioribus iudicibus, dilueret; nec ita multo ante *A. Mohr*\*, aestimator consideratus et in libram partem modum exceedens, circumspectis omnibus rebus rationibusque deductis ita de iusta opusculi dispositione atque ordine et de auctoris ingenio iudicavit, ut, qui contra disputare velit, morosi vituperatoris suspicionem sustineat. Admonent praeterea disquisitiones atque investigationes, recentioribus temporibus institutae, quibus loci fere desperati enucleati, alia, quae scriptoris culpae tribuebantur, ingeniosa vel interpretatione vel emendatione in illius laudem sunt conversa. Quae quum ita se habeant, spem non esse abiiciendam censeo, fore ut, quae molestiam adhuc pariant, assidua virorum doctorum opera ad liquidum perducantur, vitaque narratio, quam unice dignam habeo, quae adolescentibus antiquitatis studiis initiandis exemplar ingenii vere Romani pietatisque sincerae proponatur, si non ab omni vituperatione, at a suppositionis suspicione liberetur.

Nulla autem vitae illius pars magis in ambiguo est reducta, quam praefatio. In qua exponenda etsi plurimi operam suam posuerunt, vix tamen invenitur, quin reiectis aliorum conatibus novam de scriptoris consilio enunciatorumque nexu sententiam proponendam, aut debilem nec satis perspicuam eorum, quae praemissa sunt, cum sequentibus convenientiam vel coniunctionem incusandam esse censeat. Quod idem mihi accidit primæ classis civibus vitam *Agricola* exponenti. Nam quum interpretationum nulla esset, qua dubitationes omnes tollerentur, difficultasque omnis in

---

\* Bemerkungen zu und über *Tacitus Agricola* von *A. Mohr*. Meiningen 1823.

uno maxime vocabulo posita esse videretur; libris veteribus consultatis variisque lectionibus denuo recensitis amplexus sum scripturam, quae, quum ex omnium fere editorum consensu repudiata esset, unice mihi vera atque ea est visa, quae loco multum vexato lucem aliquam afferre posset. Quam ego sententiam constituerim quibusque rationibus eam confirmari posse existimaverim, hac data opportunitate in medium proferre non dubitavi. In quo si erroris convictus fuero, communis omnium, qui eundem lapidem movere conati sunt, fortuna consolari me poterit. Tentasse laborem sane neminem, nisi ignavum aut vanae gloriolae studiosum, pigebit.

Verba, quibus maxima inest difficultas, leguntur extremo capite primo:

,At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit; quam  
,non petissem, ni cursaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora.“

Ita cum Puteolano veteres editiones ante Rhenanum et Lipsium, qui primi verba *ni cursaturus tempora* in dubium vocantes criticorum certaminibus campum aperuerunt. Defendit Ernestius antiquam lectionem, iam a Pichena restitutam, eumque nuper secuti sunt viri de Taciti Agricola optime meriti: Dronke, Welch, Walther, Rigler\*, alii.

Lectio *ni incursaturus* ex Rhenani conjectura a nullo recentiorum editorum, quod quidem sciam, in textum est recepta, etsi nun defuerunt, qui eam defendarent. — Codex Vaticanus 5429 et, qui diu desideratus, nuper vero rogatu Dronkii a Jac. Clemente ex latebris protractus et excerptus est, Cod. Vatic. 4498, exhibent *incusaturus*, omissso *ni*.\*\* Quae lectio, quum sensu probabili carere vitioque deberi videretur, Lipsius coniunctionem *ni* restitui voluit, idque probavit Heinsius, quem deinde secuti sunt Oberlin, Imman. Bekker, Hertel, Schlüter, alii. Nuper demum lectio ex Cod. Vatic. communicata defensorem nacta est in Ephem. Lit. Halens. 1828, eandem fere sententiam constituentem, quam Passow literis ad Dronkium datis aperuit.\*\*\* Ceterarum conjecturarum non est, quod fiat mentio, quum præsertim ab aliis iam dudum excussae rationibusque refutatae sint. Variae igitur lectiones et conjecturæ aliquo in numero habendæ fere hæ sunt: *ni cursaturus*, *ni incursaturus*, *incusaturus*, *ni incusaturus*.

\* Annotationes maximam partem criticae ad Taciti vitam Agricolæ. Scripsit Fr. A. Rigler. 1835.

\*\* Ein. Dronkii annotatio critica in C. C. Taciti Agricolam. Fuldae 1842.

\*\*\* Cf. l. l. pag. 6.

Hie recensisit videamus, quibus de causis viri docti in varias discesserint partes quasque potissimum rationes in explicando sententiarum nexu inierint. Ex lectionibus propositis duae tantum, quod scimus, codicum auctoritate nituntur: *ni cursaturus et incusaturus*, quarum illa a Rhenano in *ni cursaturus* mutata est, nulla alia, ut mihi quidem videtur, de causa, quam ut evitetur verborum insolentia. Quae etsi ab Ernestio aliisque ita defensa est, ut nemo dubitet, quin cursare cum accusativo easu iungi possit, tamen etiamnunc ambigitur de sententia, quae sub verbis *cursare tempora* sit subiecta. Nam quum plerique interpretes *currere* hoc loco idem esse statuant, quod *decurrere*; Walther *cursare*, ut verbum circense, per se intelligi, nec caeco frequentativorum amore, sed quia multiplex sit scriptoris cursus in temporibus, quae narret, positum esse contendit. Si quid inhaereat audaciae, id ipsum egregie convenire loco, ut ita verborum etiam colore depingatur audacia cursandi tam saeva et infesta virtutibus tempora. Quae verba si accuratius perpenderis, varia inter se mixta esse senties. Nam si *currere* est verbum circense, profecto nihil aliud significare potest, quam cito cursu ferri per spatium; et frequentativum *cursare*: iterum saepiusque cum impetu quodam currere. Jam quomodo scriptor, cuius *multiplex* in temporibus cursus sit, comparari possit eum eo, qui spatium intentis viribus emetitur et ad terminum statutum pervenire studet, equidem non intelligo, neque magis liquet, qua ratione vox *cursare*, ad significantum multiplicem scriptoris cursum electa, simul ad audaciam cursandi tam saeva tempora depingendam facere possit. Ad haec quaeritur, qui tandem multiplex iste cursus, quae ista audacia fuerit? Nam quum Tacitus unius tantum viri vitam perstringere sibi proposuisset, idque eo tempore, quo ab imperatoris sævitia nihil iam esset timendum; vix eum de multiplici cursu aut de venia petenda cogitasse putandum est. Quod Walther ad removendam dubitationem proponit, scriptorem non metu futurorum, sed memoria prioris dominationis commotum timide petisse veniam, an nunc virtutem laudare liceret, excusasseque incepsum, quo rumperetur silentium, id parum contextui consentaneum esse, vel ex eo appareat, quod initio præfationis morem illum antiquum scribendi facta moresque clarorum virorum ne suis quidem temporibus ab aetate suorum incuriosa omissum esse commemoratur. Ac ne probra a Tacito in sua aetatis scriptores iactari putas, admonet capit is secundi argumentum. Magis sibi constituit Rigler, qui, quum verbum *cursare* aut iterum saepiusque in aliquo spatio currere aut huc illud currere constituisset valere, locum ita vertit: Ich hingegen, als ich in unsern Tagen Hand an die Abfassung der

Lebensbeschreibung eines hingeschiedenen Mannes legte, sah mich zum Voraus genöthigt, willfährige Güte in Anspruch zu nehmen, um welche ich nicht nachsuchen würde, führte mich nicht der Lauf meiner Erzählung hier und da über so grausige und jede Tüchtigkeit anfeindende Seiten hinweg. (Similiter Walch: streifte ich nicht in grause, Tugenden so unholde Zeit.) *Ingeniosa sane interpretatio, sed dubito, an menti scriptoris accommodata.* Qui si eam sententiam exprimere voluisse, quam eruisse sibi videtur doctus interpres, usus non esset verbis, popularibus aequa ac nobis obscuris. *Quis enim cursare tempora, locutionem prorsus novam nec apud veteres scriptores usquam, quod ego sciam, occurrentem, hoc praesertim loco pro leviter perstringere acciperet?*\* Ad consilium scriptoris quod attinet, manifestum esse dicit Rigler, *Tacitum non quod vitam Agricolae narraturus, sed quia tam saeva tempora cursaturus esset, opus sibi fuisse venia ratum.* Vidisse enim, rerum conversione facta, spes hominum cummaxime eo ipso tempore elatas esse, coque aegrius eos passuros, cruda etiamtum vulnera refricari et socii laudibus affusas esse querelas, ingenui doloris plena. Temporum autem atrociem mentionem innectam esse, et quod huius vitae ratio id postulasset, et, ut si quid ingenii artisque in hoc ceterisque, quae mox editurus esset, scriptis desideraretur, id temporum illorum sævitia, quae maxima ingenii vulnera inflxisset, defenderetur. — Hic quoque interpretis acumen facile agnoscas, quo omnia ita sunt comparata, ut, si a scriptoris verbis oculos paullum averteris, vix quidquam desideres; sed si enunciatorum nexum ac seriem accuratius recognoveris, subiecta et immixta esse ab hoc loco aliena tibi persuadebis. In eo vero prorsus assentior, quod contra Walchium \*\* monetur; nam Tacitum ab obtrectatoribus et calumniatoribus sibi cavere et adversus eorum delationes tutum se praestare voluisse temporum excusatione, ut prorsus indignum acerrimo illo servilis patientiae ac flagitorum castigatore reiiciendum est. Neque

\* Aliter iudicat Jul. Held I. l.: „sat vel sic, quanquam, quo sensu auctor vitae verba, de quibus disputavi, accipi voluerit, probe intellexit Walchius, tamen sententiam C. Taciti ingenio dignam verbis illis contineri nego.“ Heldio igitur locus a Walchio probe intellectus, verba ipsa Tacito indigna esse videntur.

\*\* Walch I. l. „Nicht als Ankläger gegen die Vergangenheit hatte er nöthig, um Nachsicht zu bitten; dagegen als Ankläger bestimmter Männer, die im Senat an seiner Seite saßen, wie überhaupt gegen Alle, welche das Agricola gespendete Lob nicht als Verherrlichung ihres Lasters aufnehmen und gleichmütig übersehen konnten, heischte vorschauende Klugheit, mit Besonnenheit aufzutreten.“

etiam, ut **Held** I. I. recte monet, intelligitur, quomodo tali venia impetrata delatores leniri ac conciliari et, criminando ne se darent, permoveri potuerint. — Magis etiam a vero aberrasse videtur **Giesebricht**,<sup>\*</sup> qui Tacitum a morosis stoicis ad conscribendum sui temporis historiam incitatum et ob consilium vitae hominis privati narrandae obiurgatum, ab his cum acerbitate quadam petisse opinatur, ut sibi liceret pietatem profiteri; futurum enim, ut aliquando, quod illi iuberent, exsequeretur. **Ad cursaturus** annotat: „*aliquando in iis libris, quos de mei temporis rebus conscripturus sum.*“ Verba igitur *quam non petissem* ita accipere videtur, quasi scriptum sit: *quam ne petissem quidem*, et *virtutes pro scriptorum meritis*. **Dronke** in **Annotationibus** supra laudatis ex conformatione totius sententiae apparere dicit, coniunctionem *ni* esse necessariam, quae aut ab ultima litera vocabuli praecedentis aut a prima sequentis facile intercipi potuerit. **Proinde** aut *ni cursaturus* aut *ni cursaturus*, quod ipse scripsit, legendum esse. Utra lectio praestet, dubium se adhuc haerere. Sed non minus dubius haerere videtur v. d., qui sit verborum sensus. Nam quum in priore editione hanc constituisse loci sententiam: *Mihi vitio ne vertatur, quod Agricolae vitam non composui statim atque is discessit; tum enim deterrebar immitti illo Domitiani ingenio, quo pessumdati sunt Rusticus et Senecio, Thraceae Priscique Helvidii laudatores*, in **Annotationibus** criticis eius interpretationis mentionem non facit, et de particula *nunc*, in qua totius sententiae vim inesse dixerat, tantum hoc monet, opponi eam iis temporibus, quibus virtutes quum facillime genitae, tum etiam optime aestimatae essent; ex quo coniicere licet, a sententia illa prius constituta quodammodo eum recessisse.

**Ricklefs**,<sup>\*</sup> *ni cursaturus* defendens, vertit: «Aber ich, der ich das Leben eines Verstorbenen zu erzählen im Begriff bin, bedurfte der Erlaubniß, die ich nicht erbeten,

\* Symb. crit. et herm. ad Taciti Agricolam. 1835.

\*\* Des Tacitus Werke übers. und mit Anmerk. begleitet von Dr. Friedr. Ricklefs, Oldenburg 1827.

„Man darf den Gedanken, den Tacitus hier ausspricht, sich nicht um das *nunc* drehen lassen und ihn für eine Entschuldigung nehmen, daß er jetzt erst das Leben des A. schreibe. Das hinzugefügte *venia etc.* bliebe dann immer eine Beteidigung für Trajan. Auch bezieht sich der Gedanke vermöge des *opus fuit* und *non petissem* ja offenbar auf die Vergangenheit. — Daß die Bekanntmachung dieser Denkwürdigkeiten sich bis nach dem Tode des Domitian verzögerte, hatte seinen guten Grund in der Gefahr der Zeiten und dem Charakter des Despoten. Daß *venia opus fuit* auf Tacitus ungebildete Schreibart geht, wie Herr Becker will, scheint mir nicht aus dem Zusammenhange hervorzugehen.“

hätte ich nicht so furchtbare und den Tugenden gefährliche Zeiten zu durchlaufen gehabt.  
**Ex annotatione a. h. l. appareat, sensisse virum doctum, quod rectum esset, sed aliorum auctoritate in errorem esse depulsum.**

**Ni incursatus** Walther ideo ferendum non esse censem, quia insit notio hostilitatis hinc aliena. Assentuntur **Held** et **Rigler** l. l. **Contra Ludov. Bischof**\* ni **incursatus** unice inter varias lectiones sensum exhibere censem contextui convenientem. **Incursare** apud Tacitum, frequentativa præ ceteris scriptoribus usitantem, nihil aliud significare, quam **incurrere**, begegnen, auf etwas stoßen, in etwas gerathen; ne apud **Ciceronem** quidem huic verbo offendendi notionem adhaerere. (Cic. ad Fam. XV, 11: *Si me navigatio non morabitur, quae incurrebat in Etesias; ad Attic. VII, 7. Tua lepsis, in quem diem incurrat, nescio; Suet. Tib. 26.*) Itaque vertit: „Mir aber, der ich jetzt das Leben eines dahingeschiedenen Mannes erzählen will, ist Entschuldigung Noth, um die ich nicht bitten würde, trüte ich nicht so argen und allem Trefflichen abholden Seiten gegenüber.“ Non vidit v. d., discerni ab auctore priorem sub **Domitiani** et præsentem sub **Nervae** imperio rerum statum, ita, ut, quæ capite secundo continentur, saevorum temporum documento sint, et quæ de **Nerva** et **Traiano** commemorantur, omnia bona sperare iubeant. (Nunc demum reddit animus etc.) Quæ in extrema præfatione leguntur: „Non tamen pigebit memoriam prioris servitutis ac testimonium præsentium honorum composuisse — hic liber aut *laudatus erit* aut *excusatus*“ admonere debebant, Tacitum præterita, non præsentia conqueri et castigare. **Ni incusatus** propius accedit ad Cod. Vat. scripturam; sed qui hanc scripturam defendunt, ita de verborum sententia inter se dissentunt, ut vel ex eo intelligi possit, quam infirmis fundamentis eorum disputatio nitatur. \*\* Vertit Schläuter: „Ich meines Orts, der ich jetzt erst das Leben eines Verstorbenen beschreiben will, bedarf Nachsicht, die ich nicht würde erbitten dürfen, wenn ich nicht über so wuthvolle und tugendfeindliche Seiten hätte klagen müssen.“ Quae interpretatio maiori etiam obscuritate laborare mihi videtur, quam ipsa auctoris verba, nec omnino intelligi posset, quid exprimere voluerit interpres, nisi annotavisset: „Es bedurfte, sagte er (Tacitus), deshalb der Nachsicht, weil er in solchen Seiten (unter einem Domitian), wo die

\* Ueber die Vorrede des Corn. Tacitus zur Lebensbeschri. des Agricola, Wesel 1824. Libellus omni laude dignus.

\*\* Congessit et recensuit varias interpretationes Walch libr. I in Additamentis ad locos quosdam plurimum vexatos.

Tugend proscribirt wurde, und die Erinnerung an Verdienst gefährlich war, nicht habe wagen dürfen, dieselbe bekannt zu machen." **Velle, vir doctus demonstrasset, quo modo haec verba opposita sint iis, quae antecedunt.** Opposita autem esse sequentia antecedentibus, et particula *at* et verborum collocatione indicatur. Alii multo simplicius haec verba interpretati sunt, atque ita, ut lectiones *ni cursaturus* et *ni incusaturus*, ad sensum quod attinet, haud multum inter se differant.

**Lectio Codicum Vaticanorum incusaturus omissa particula *ni***, ut supra indicavi, defensorem naeta est in **Ephem. Lit. Halens** 1828, qui verba illa ad **Anna- lium Historiarumque libros spectare censens**, ita vertit: „Nicht würde ich um Nachsicht gebeten haben, wollte ich als Ankläger jener Zeiten in einer Geschichte derselben auftreten.“ — **Franc. Passov. I. l. interpretatur**: „Für mein schriftstellerisches Her- vortreten würde ich nicht um Entschuldigung gebeten haben, wenn ich mit meinem Buche **Domitians** Zeitalter hätte anklagen wollen: die Greuel desselben sind so himmelschreiend, daß es auch dem Ungeübtesten nicht hätte mißlingen können, ein Schaudergemälde von ihnen zu entwerfen: ich habe aber Größeres und Schwereres vor, das Leben eines ab- geschiedenen Edeln zu schildern, und bei meinen noch unversuchten Kräften muß ich dafür auf Nachsicht Anspruch machen, die man der **professio pietatis** nicht versagen wird.“ Ille igitur ea de causa scriptori **venia opus fuisse opinatur**, quod non saeva illa et infesta virtutibus tempora potius scripsisset, quum vix sperare posset, vitam **Agricolae** ab aetate suorum incuriosa magni factum iri; hic Tacitum ob inconditam ac rudem vocem veniam petisse putat, ut, si narratio tanto viro non satis digna visa fuisset, materie difficultas temporumque iniquitas eius rei culpam sustineret. Sed omiserunt viri docti demonstrare, quo tandem vinculo ista excusatio cum antecedentibus connexa esset, quod equidem prorsus nullum video. Refragatur huic explicationi vel sola temporum saevorum commemoratio.

**Incusaturus** genuinam esse lectionem respicie hoc loco ad **Domitiani** saevitiam, mihi quoque persuasum est; verum de tempore, quo, et de causa, cur **Tacitus** veniam sibi petendam esse existimaverit, adeo dissentio, ut, si iis, quae opposita sunt, nihil aliud contineretur, quam aut vocis inconditae aut argumenti excusatio, mera verba praefatus esse videretur vitae auctor. Cui ut tale quid imputem tantum abest, ut rectam progrediendi rationem ubique servatam, neque quidquam, quod aut longe quaesitum aut prudentissimi scriptoris ingenio indignum habeatur, praefationi insertum esse contendam. Quod ne *timere* a me sic iudicatum esse videatur, rationibus erit confirmandum.

Nisi omnia me fallunt, tria potissimum sunt, quae Tacito socii vitam narraturo praemittenda esse viderentur: 1) quae causa eum prohibuisset, quominus prius ad opus aggredieretur (Cap. I. et II., *ineusatia temporum*); 2) excusatio tarditatis in revocandis ingenii studiisque, qua novum saeculum, etsi a Nerva Traiano quotidie augeretur, etiamnunc laboraret (Cap. III. *excusatio inconditae ac rudis vocis*); 3) ad retractanda studia exhortatio, suo ipsius exemplo confirmata, qua transitus simul fieret ad vitam a se conseribendam (*Non pigebit — excusatus*). Quae si recte a me ita constituta sunt, de iusto sententiarum nexu atque ordine dubitari vix poterit. Perlustremus nunc singula, ut, si quid obstet huic praefationis descriptioni, appareat.

Capite primo scriptor priora tempora priorumque scriptorum conditionem cum suis temporibus suaque ipsius conditione comparat. Antiquum illum clarorum virorum vitam scribendi morem ne suam quidem aetatem, quamvis incuriosam suorum, omisisse, quoties magna aliqua ac nobilis virtus vicisset ac supergressa esset ignorantiam recti et invidiam, i. e. ita excelluisse, ut ad observantiam et caritatem quasi eogeret incuriosos et invidos civium animos. Sed apud priores, ut agere memoratu digna promptum minusque impeditum fuisse; ita celeberrimum quemque ingenio non gratiae captandae aut humiliter blandiendi studio, sed bonae tantum conscientiae pretio esse ductum. Ac plerosque suam ipsos vitam narrare fiduciam potius, quam arrogantiam, arbitratos esse; nec id Rutilio aut Scauro citra fidem aut obtrectationi fuisse. His, quae sequuntur verba: „*At mihi nunc narraturo vitam defuncti hominis venia opus fuit*“ opponuntur ita, ut verba verbis fere respondeant. Se ipsum Tacitus opponit prioribus scriptoribus, quibus libere atque ingenue scribendi potestas fuerit, qui nulla aut honoris aut gratiae habitatione bonae tantum conscientiae pretio ducti sint. *Nunc*, i. e. nostris temporibus, opponitur iis temporibus, quibus virtutes et facillime genitae et optime aestimatae sunt, nec postulatum, ut scriptores personae aut tempori servirent. Itaque *nunc* non de ipso eo tempore, quo libellus editur, accipendum est, sed sensu latiore de iis temporibus, in quae incidit Taciti aetas. — *Narraturo defuncti hominis vitam* i. e. qui hoc tantummodo mihi proposuisse, ut quum priores sine gratia aut ambitione virorum clarorum facta moresque scriberent, nec suam ipsi vitam narrare dubitarent, *defuncti ego hominis* (eines berüts hingeschiedenen Mannes), quem omni invidia et obtrectatione carere putares, vitam narrarem. *Defunctus homo* ideo dicitur **Agricola**, quia e vita iam discesserat, nec cuiusquam vel invidiam

vel suspicionem movere poterat. **Vox homo** hoc nostro loco tantum abest, ut maius aliquid ac praestantius sonet, quae est Rigleri conjectura, ut minuendi vim habeat, lectaque esse a scriptore videatur ad castigandum ridiculum tyranni timorem et libidinosam agendi rationem. — **Venia opus fuit.** Petere veniam est petere, ut permittatur fieri aliquid, quod alioquin offensionem habeat, aut, si quid commissum sit, ut ignoscatur (gütige Bewilligung, Nachsicht). Iam vero, si quis librum editurus est, duae potissimum causae sunt, quae eum ad veniam petendam impellere possint: aut enim offensionem deprecatur eorum, quae libro emitendo continentur, aut modeste lectorum indulgentiam orat, ne severius iudicent, si qua in re eorum exspectationi non satisfecerit. Utra venia sit intelligenda, nisi per se intelligitur, nemo non aperte indicabit, nisi forte Tacitum brevitati studentem suoque ingenio indulgentem excipiendum esse censes. Mea quidem sententia hoc loco ex enunciatorum oppositione, particula *at* expresse significata, facile cognoscitur, qua venia scriptor sibi opus esse existimaverit; sed interpres aut mendo scripturae (ni cursatus), aut eo in errorem inducti esse videntur, quod in extrema praefatione inconditae ac ruditis vocis fit mentio, quae verba ad veniam a Tacito petitam referenda esse plerique putaverunt. Concedo, in extrema praefatione excusari exiguum scribendi exercitationem eaque excusatione veniam simul peti; sed haec venia prorsus differt ab illa, quam *non a se petitam esse* scriptor capite primo dicit. Ita enim verba, *quam non petissem incusaturus tam saeva et infesta virtutibus tempora accipienda esse*, pluribus, ut pro certo habeam, rationibus adducor. Ac primum quidem, quod supra demostrasse mihi video, nulla interpretationum propositarum ita omni ex parte satisfacit, ut non residueant dubitationes haud minus, quam occulta verborum significatio, molestae; deinde, si veniam re vera petitam esse posueris, quo sint ea, quae capite secundo continentur, referenda, dubius haerebis; neque enim praesentem rerum statum describi, neque in universum praeteritorum temporum saevitiam exemplis illustrari, sed ad miseram scriptorum sub Domitiano conditionem maxime respici, quae vel fortissimos a scribendo deterruerit (*Nunc demum redit animus*), nemo non videt, nisi si quis opinione praediuncta obcaecari se passus sit. Tum vero ex ipsa serie, qua cogitationes se excipiunt, enunciatorumque oppositione patet, id euisse scriptorem, ut, quantum scriptoris aetas a priorum virtutibus desciverit, in oculos incurreret. Tempora autem illa saeva et infesta virtutibus, quae plerique veniae petendae causam fuisse opinantur, non esse ea, quibus libellus, quinto post socii obitum compositus, foras

emissus sit, sed significari Domitiani imperium, quum secundi, tum sequentis capitis verbis, quibus recuperata sub Nerva Caesare libertas effertur, aperte indicatur: *Nunc* demum redit animus, et quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie filicitatem temporum Nerva Traianus, nec spem modo ac votum Securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumserit e. q. s. — Postremo parum honorifice de Taciti ingenio iudicare mihi videntur, qui hanc verbis sententiam subiiciunt: At mihi *nunc* narraturo vitam *defuncti* hominis venia opus fuit, quam non petissem, nisi propositum mihi esset, tam saeva — tempora perstringere; vel, ut alii volunt: nisi timuissem, ne homines quidam aegre essent laturi, temporum illorum iniici mentionem. Vocem *defuncti* cum vi quadam positam esse, non solum ex ipsius verbi significatione, sed etiam ex verborum colloquatione appareat. Iam vero quibus de causis scriptor vitam *defuncti* hominis narrans venia sibi opus esse existimaverit, aut cur addiderit, quibus conditionibus eam veniam non petiturus fuisset, equidem non intelligo; neque enim mihi persuadere possum, scriptorem tam non cognita habuisse ingenia hominum, ut veniam se esse impetraturum speraret, dummodo confessus esset, sibi opus esse veniam; aut quemquam esse tam inconsideratum, ut veniam obtrectatorum et calumniatorum quaerens adderet: sed hanc veniam non petissem, nisi ab hominibus quibusdam virtuti infestis cavendum mihi esset.

Sed satis mihi multa verba fecisse videor, quae ab interpretibus dubitationes essent relictæ; nunc rationes erunt afferendæ, quibus adductus sim, ut *veniam illam*, cuius cap. 1. fit mentio, *non esse petitam a scriptore censerem*. Lectionem *incusaturus*, omissa particula *ni*, Codicum Vaticanorum auctoritate munitam, unice mihi veram atque idoneam esse visam, quæ lucem afferre posset loco obscuro vel potius obscurato, supra a me indicatum est, itemque quo particulam *nunc* verbaque *tam saeva et infesta virtutibus tempora* referenda esse censerem. Iam totum hunc locum ita explico, ut interpreter: At mihi, si *nunc*, i. e. nostris temporibus vitam *defuncti* hominis (statim post eius mortem) narraturus fuisset, veniam opus fuisset; eam vero (Domitiano vivo) non petissem (petere ausus non essem), qui essem incusaturus (cui pro vitae narrandæ ratione incusanda esset — qui non potuissem, quin incusarem) tam saeva et infesta virtutibus tempora (ut fuisse ea ex sequentibus appareret). Quodsi ita hunc locum interpretatus fueris — et quid impedit, quo minus ita accipias — præfationis sententias optime inter se aptas esse tibi persuadebis

Hoc igitur dicit vitae auctor: At nostris temporibus multo deteriore utuntur scriptores conditione, ut Domitiano vivo ne defuncti quidem hominis vitam ego narraturus fuisse, nisi veniam ante impetravisse; eam vero petere ausus non essem ipsa illa tam saeva et infesta virtutibus tempora incusaturus. Si cui ex Puteolani et Cod. Vat. lectionum comparatione *insursaturus* (*omisso ni*) maiori auctoritate niti videatur, nil est, quod contra moneam; sensus hac lectione recepta fere idem. Ita, quæ sequuntur, arctissimo vinculo cum antecedentibus sunt coniuncta, quippe quæ contineant, quae res scriptori documento fuissent, ne soceri vitam statim post eius mortem emitteret, et quam gravi servitutis iugo pressi essent Romani sub Neronis, Vespasiani et Domitianī dominatione: *Aruleno Rustico et Herennio Senecioni capitale fuisse, quod Paetum Thraseam ille, hic Priscum Helvidium laudasset; auctores e medio sublatos, libros in comitio ac foro combustos, sapientiae professores atque omnem bonam artem in exilium acta, ne quid unquam honestum occurreret.* Quæ deinde sequuntur, ad confirmandam sententiam de capitis primi verbis extremis a me propositam quam maxime sunt idonea: *sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, ademto per inquisitiones et loquendi audiendi que commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere. Nunc demum redit animus.* Extremis verbis indicatur beatissimi saeculi ortus; tristi rerum imagini opponitur praesentis temporis felicitas securitasque publica diu desiderata. Quae etsi ingenia studiaque diu oppressa revocari iubeant, tamen eam esse infirmitatis humanae naturam, ut invisa primo desidia postremo ametur, nec ingenia studiaque semel iacentia celeriter resurgent, praesertim quum per quindecim annos promtissimus quisque saevitia principis interierit paucique non modo aliorum, sed etiam sui superstites sint. Excusat Tacitus modestiæ causa exiguum scribendi facultatem veniamque, quam verbis, quæ capite primo leguntur, eum petisse fere omnes opinati sunt interpretes, hic demum solerti ratione atque ita quaerit, ut exposita communi artium conditione ad sua studia socerique vitam lectoribus a se proponendam fiat transitus.

Sententiarum nexu ex ordine descripto, restat, ut nonnullos praefationis locos, in disceptatione adhuc versantes, breviter consideremus atque illustremus. *Vicit ac supergressa est — ignorantiam recti et invidiam.* Recte Walther contra Walchium monuit, *omisit, vicit, supergressa est* aoristos esse vulgares, neque hoc loco Græcorum more de iis, quae fieri soleant, esse positos. *Vicit ac supergressa*

*est recte vertit Schläter: siegend sich emporschwang. — Rectum est, quod cum virtute et officio sit. — virtus ignorantiam vicit i. e. qui ignorarent rectum, adeo que contemnerent, eos, ut se agnoscerent, virtus quodammodo coegerit, invidiamque, quae inhaeret egregiis facinoribus, vicit gloriae altitudine admirationemque movit. Ignorantia (Nichtachtung) h. l. de iis est accipiendum, qui sunt virtutum incuriosi, qui ignorant praeclare facta aut ignavia aut invidia ducti. Huic opposita quodammodo sunt in sequentibus *pronum erat* et *ad prodendam virtutis memoriam ducebantur; — invidiae respondent verba: magis in aperto erat et sine gratia et ambitione. Pronum magisque in aperto.* cf. Cap. 33. et *vota virtusque in aperto omniaque prona victoribus,* quae verba interpretatur Walther: quibus nihil obstat, quo minus effectum habeant; Sellingius, per figuram ἐν διὰ δυοῖν dicta esse iudicans: virtus, cuius ostendenda copiam in votis habebatis; Rigler: vota, quae vestra virtus concepit. Ego vero: Hier freies Feld für der Wünsche (quando dabitur hostis, quando aeies?) und der Tapferkeit Bewährung. In aperto idem fere est, quod campus apertus rei alicui gerendae. cf. Cap. 8: *habuerunt virtutes exemplorum spatum, et Ann. XIII. 8: videbatur locus virtutibus apertus.* Eodem fere sensu Hist. II. 38: *vacuum usitatum est: sed ubi —secut ras opes concupiscere vacuum fuit. — Pronus, proclivis, proprie in anteriorem partem inclinans, vergens, translate dicitur de iis rebus, quae nullam habent difficultatem, aut quae nullo impedimento tardatae facilem habent progressum. Cf. Cap. 33.: omniaque victoribus prona; Hist. IV. 3: tanto proclivius est iniuriae, quam beneficio vicem exsolvere; Sall. Jug. Cap. extr.: alia omnia virtuti suae prona esse. At hoc nostro loco, nisi quid me fallit, paullum differt huius vocis significatio a locis allatis; hic enim proclivitatem priorum ad agendum memoratu digna a scriptore significari, ex iis, quae antecedunt et quae sequuntur, colligo, ita ut *apud priores pronum fuit dictum esse videatur pro: ut priores agere memoratu digna priones minusque impediti erant.* De impersonali dicendi genere cf. locus, a Walthero allatus, Ann. XIII. 3: Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere cet. Sine gratia et ambitione. Gratia passive hoc loco positum esse ex verbis nullo alio prelio ducebantur intelligitur. Est igitur favoris aut benevolentiae captandae studium. Sie Cie. p. Manil. Cap. 24: neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per hanc causam conciliari putem. — Ambitio h. l. est gratiae humiliter vel per malas artes sibi concilianda cupiditas. — Cap. II. Legimus, cum Aruleno**

Rustico Paetus Thrasea, Herennio Senecioni Priscus Helvidius laudati essent, capitale fuisse. Lipsius ad hunc locum: *Itane legimus? ino vidimus; nam haec sub Domitiano gesta, ut in extremo libello (Cap. 45.) indicas, te vivo atque adeo praesente.* Perlkamp eadem de causa lectionem veterem improbans proposuit *meminimus.* Sed Walch omnem corruptelae suspicionem removit loeis ex Dione Cassio (lib. 67, 11.) et Taciti Ann. (lib. 16. 22.) allatis, ex quibus perspicuum est, Actis Diurnis per provincias et exercitus lectis, inserta esse ea, quae imperatores divulgari vellent. Quid igitur impedit, quominus iudicia de Aruleno et Seneccione eadem ratione publicata esse existimemus, verboque *legimus* hanc subiiciamus vim: Weiß doch jeder von uns aus öffentlichen Blättern oder öffentlicher Bekanntmachung u. s. w.? Cf. Plin. Ep. 7., 55.: „*Demonstro ergo, quamquam diligentiam tuam fugere non possit, cum sit in Actis Publicis.*“ At vel sic, si prorsus ignoraremus, ad quae testimonia literis mandata respiciens vocem illam usurpare potuerit scriptor, causam probabilem non esse censeo, cur miremur, adeoque vituperemus, quod non *vidisse se rem*, cuius testis esset, dixerit. Quis enim *non* lecta esse iudicia illa pro certo affirmare audeat? Coniicit Walther, Tacitum verbum *legimus* propterea usurpasse, quod eo ipso tempore, quo illa Romae acciderint, absens esset; nam rem cadere in annum 848. Sed quid opus est tali excusatione? Neque enim hoc dicit scriptor, *se unum legisse*, sed et *se et omnes*, qui tum temporis vel Romae vel aliter alibi fuissent. Legerunt autem omnes, si quaeris, ubi scriptum erat; nec, si cui non satis liquet, qua id ratione fieri potuerit, ob eam rem continuo de proba scripturae conditione dubitandum, aut lectio ut inepta et bono scriptore indigna reiicienda est. Quod factum esse ab Heldio sane miror. Qui quum se nescire professus esset, quod contra Walchii aliorumque, qui hunc secuti sunt, opinionem diceret, ita de loco nostro iudicavit: *Itaque ista voce haud levis mea quidem opinione movetur suspicio, ne vitae auctor aetatis a Domitiani temporibus remotioris notam invitus ac sui paene oblitus intexuerit.* Non igitur satis habuit index acerrimus, movisse de libelli auctore suspicionem, sed incuriae etiam atque incognitiae arguit scriptorem ignotum. At vereor, ne ille obvenerit Heldio vituperanti, quod Walchio laudanti. — *Triumviri*, i. e. *Triumv. Capitales.* — *Nunc demum redit animus; et quamquam cet.* Mentem scriptoris assecuti non esse videntur, qui *et* positum esse pro *sed* putaverunt, aut de permutandis his coniunctionibus cogitaverunt. Mea quidem sententia haec est verborum significatio: *Nunc demum redit animus, et nihil iam impedit, quominus ingenia studiaque revocemus; sed est*

haec infirmitatis humanae natura, ut remedia tardiora sint, quam mala et invisa primum desidia postremo ametur, quam sententiam ita conformavit Tacitus ut tarditatis excusatio, quae praefationis summa est, magis perspicua fieret: Nunc demum redit animus, et quamvis multa ad revocanda ingenia studiaque hortentur, tamen infirmitas humana impedit, quominus prioris conditionis vestigia continuo evanescant. — *Felicitatem.* Haec lectio firmatur Cod. Vatic. A. et B. auctoritate, nec est, quod ab ea discedamus. Vide, quae a Walthero a. h. I. annotata sunt et a Dronko, in libello supra laudato. Ad totius loci sententiam cf. Hist. I. 1. *Quodsi vita suppeditet, principatum divi Nervae et imperium Traiani, ubiorem securioremque materiem, senectuti seposui, rara temporum felicitate, ubi sentire quaevelis, et, quae sentias, dicere licet.* — *Nec spem modo ac votum.* Haec verba ita interpretor: Nec Securitas publica in spe modo ac voto posita, sed eius indicia tam aperta et certa sunt, ut voti nos iam esse compotes confidere possimus. De zeugmate vid. Waleh. melet. crit. pag. 13. et Waltherum a. h. I. Recte Dronke: „Bene sibi opponuntur Securitatis votum, quod Domitiano imperante in nummis modo atque inscriptionibus erat expressum, et ipsa Securitas, quae Traiano principe re vera tenetur.“ — *Promptissimus quisque et pauci ad eos spectare, qui dediti essent studiis, vix est, quod moneatur.* De misera temporum illorum conditione cf. Plin. Epist. 8. 14.\* *Pauci et, ut ita dixerim, non modo.* MSS. et editt. ante Rhenanum: *et uti dixerim*, quod revocavit Dronke. Walther usum loquendi haud dubie Rhenani emendationem *et, ut ita dixerim* poscere contendit, ambigitque, *an uti dixerim* defendi possit e formula Græcorum *ως ἀπεῖται*. Quæ etsi recte monita esse a viro docto videntur, tamen persuadere mihi non possum, Codicum lectionem ut ab hoc loco alienam esse reiiciendam. *Ut ita dixerim et uti dixerim* ita inter se differre videntur, ut illud ad excusandum insolentem vocis *superstes* ad animum relatae usum

---

\* Plinii verba haec sunt: At nos iuvenes fuimus quidem in castris; sed cum suspecta virtus, inertia in pretio, cum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium . . . . Idem prospexit curiam, sed curiam trepidam et elinguem, cum dicere, quod velles, periculosum, quod nolles, miserum esset . . . . Eadem mala iam senatores, iam participes malorum, multos per annos vidimus tulimusque; quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt. Breve tempus — libet exercere, quod sumus.

inserviat, hoc ad totius sententiae audaciam sit referendum. „Nur wenige sind wir noch übrig und haben, wie ich wohl sagen möchte, nicht nur Andere, sondern uns selbst überlebt.“ **E**x quo apparent, particulum *et non esse supervacaneam*, sed coniungere eam duo enunciata, quae ambigua vocis *superstes* significatione ita coaluerunt, ut vix distinguantur. *Et*, ut saepe, cum vi quadam positum est, ut idem fere sit, quod *et quidem*. Cf. Beier ad Cie. Off II, 16; Bötticher Lex. Tacit. — *Superstites sui* dicuntur, qui, quum morti i. e. silentio et desidia tot annos obnoxii fuissent, vix iam ad ingenia studiaque revocanda valeant. — *Exemptis e media vita tot annis, quibus iuvenes ad senectutem, senes prope ad ipsos exactae aetatis terminos per silentium venimus.* Rationem addit Tacitus, cur paucos sui superstites esse dixerit. Quindecim annos e media vita exemptos, i. e. silentio peractos esse, grande mortal is aevi spatium, quo iuvenes ad senectutem, senes ad ipsos exactae aetatis terminos venissent. Universe hic loqui scriptorem nec se potissimum respicere vix est, quod moneatur. Non enim hoc dicit: Ego, qui ante quindecim annos iuvenis fui, nunc ad senectutem veni; sed in universum: qui ante hoc tempus iuvenes fuerunt, nunc ad senectutem, senes ad exactae aetatis terminos venerunt, ut inde appareat, quam pauci sui superstites sint. „Fünfzehn Jahre, aus der Mitte des Lebensalters herausgenommen, sind ein bedeutender Verlust; der rüstige Mann naht unterdessen dem Greisenalter, der Greis dem Lebensende.“ Non ita multus in explicandis his verbis fuisse, nisi **H**eld eorum rationem ex computatione parum constare totumque locum inter eos numerandum esse censisset, ex quibus Tacitum non esse vitæ auctorem colligi posset. Verba eius haec sunt: “.... Itaque sub finem anni 850 publicatum libellum credi licebit. Sequitur autem, ut auctorem vitae circiter annos quadraginta tres natum fuisse putemus eo tempore, quo ex iuvene senem se factum esse scripserit. Iuniorum aetatem annos vitae quadraginta sex, seniorum sexaginta complexam esse, Varro docet. Itaque neutrum iudicium annorum cum Taciti vita congruit.... Contrario igitur dicendi genere h. l. usum esse auctorem intelligitur. Quadragenarium se haud invitus senibus accensuit, virum, cuius vitae imaginem expressit, sexagenarium fere in aetatis flore (Cap. 41.) extinctum esse significavit.“ Quod iudicium num firmioribus argumentis, quam sententia a me proposita, alii videant.— — *Non tamen pigebit — composuisse.* Hic interim liber cet. Etsi dubium non est, quin his verbis significetur maius quoddam opus a scriptore componendum, tamen cohortationem simul aequalium iis contineri putaverim, ne quis verecundetur, memoriam prioris servitutis et testimonium praesentium temporum componere. Se

interim, quem in promtu habeat, libellum ea spe proponere, fore ut ipsa pietatis confessione veniam sit impetraturus. Quodsi ita haec verba acceperis, nihil inesse tibi videbitur, quod Taciti ingenio sit indignum.

Reliquum est, ut totam praefationem in patrum sermonem convertam; ita uno quasi conspectu dijudicari poterit, num ex ea, quam constitui de singulis locis scriptorisque consilio, sententia cogitationes iusto ordine se excipere dubitationesque, quæ resederant, remotae esse videantur.

## I.

Ausgezeichneter Männer Thaten und Charakter der Nachwelt zu überliefern, was von jeher Brauch war, hat selbst in unsren Tagen bei allem Mangel an Gemeinsinn das gegenwärtige Geschlecht nicht unterlassen, so oft eine große und hervorragende Persönlichkeit über das, kleinen und großen Staaten gemeinsame Gebrechen, Nichtachtung des Rechten und Reid, siegreich sich emporschwang. Aber bei den Vorfahren ließen sich, wie man Denkwürdiges zu thun geneigter und weniger gehemmt war, so die ausgezeichnetsten Geister zur Ueberlieferung der Verdienste auf die Nachwelt ohne Haschen nach Gunst oder Dankerstattung nur durch den Lohn eines schönen Bewußtseins bestimmen. Ja Viele haben, ihr Leben selbst darzustellen, eher für Zuversicht auf ihren redlichen Willen, als für Anmaßung erachtet, und dem *Rutilus* und *Scaurus* hat das weder zur Schmälerung des Glaubens noch zum Vorwurf gereicht. So gewiß werden Tugenden gerade in den Zeiten am meisten gewürdigt, in denen sie am leichtesten sich erzeugen. Aber für mich, hätte ich jetzt (in unsren Zeitverhältnissen) das Leben eines bereits dahingeschiedenen Mannes erzählen gewollt, wäre gütige Bewilligung vornöthen gewesen. Diese aber würde ich nicht nachgesucht haben, wo ich gegen so arge, den Tugenden abholde Zeiten Klage erheben müßte.

## II.

Haben wir doch gelesen, daß es als Todeschuld erkannt worden, als *Patus Thrasea* von *Arulenus Rusticus*, *Priecus Helvidius* von *Herennius* gelobt worden waren, und daß man nicht nur gegen die Verfasser, sondern auch gegen ihre Schriften gewütet hat, indem man den Triumviren das Geschäft auftrug, die Denkmale der herrlichsten Geister auf dem Sammel-Plaße des Volkes und dem Markte zu verbrennen. Mit jenem Feuer nämlich, glaubten sie, werde die Stimme des römischen Volkes, die Freiheit des Senats und das Gedächtniß des Menschengeschlechts vernichtet, indem man überdies noch die Lehrer der Weisheit und jede schöne Kunst verbannete, damit ja nicht irgend etwas Edles sich noch zeige. In der That, wir haben eine großartige Geduldprobe gegeben; und wie die alte Zeit sah, was in der Freiheit, so wir, was in der Knechtschaft das Aeußerste sei, da durch Nachspürereien der Verkehr des Redens und Hörens gänzlich benommen war. Selbst das Gedächtniß hätten wir mit der Sprache verloren, wenn es so in unsrer Macht stände zu vergessen, wie zu schweigen.

## III.

Jetzt erst kehrt der Muth zurück; und wiewohl gleich mit Beginn der glücklichsten Periode Nerva Cäsar einst unvereinbare Dinge, Fürstenmacht und Freiheit, vereinigt hat, und Nerva Trajan das Glück der gegenwärtigen Verhältnisse täglich mehrt, so daß die öffentliche Sicherheit nicht bloß Hoffnung und Wunsch, sondern auch Vertrauen zu des Wunsches Erfüllung und Stärke gewonnen hat: so sind doch nach der Natur menschlicher Schwäche die Heilmittel langsamer wirkend, als die Uebel; und wie die Körper nur langsam wachsen, aber schnell abstehen, so mag man den Geist und ein wissenschaftliches Streben leichter unterdrücken, als wieder ins Leben rufen. Denn es schleicht sich unvermerkt selbst der Trägheit Süßigkeit ein, und die erst gehafte Unthätigkeit wird zuletzt lieb gewonnen. Was soll man erwarten dürfen, wenn fünfzehn Jahre hindurch — ein bedeutender Zeitraum des sterblichen Lebens — Viele durch zufällige Umstände und gerade die Wackersten durch die Wuth des Fürsten umgekommen sind? Nur wenige sind wir noch übrig und haben, wie ich wohl sagen möchte, nicht nur Andere, sondern uns selbst überlebt, da mitten aus dem Leben so viele Jahre gerissen sind, in denen wir als lebenskräftige Männer zum Greisenalter, als Greise selbst bis nahe an die Grenze des vollbrachten Lebens gekommen sind. Dennoch soll es nicht gereuen, auch in ungeschmückter und kunstloser Sprache ein Denkmal der vorigen Knechtschaft und ein Zeugniß der gegenwärtigen Segnungen verfaßt zu haben. Unterdessen mag diese, der Ehre meines Schwiegervaters gewidmete Schrift durch das Bekennniß der kindlichen Liebe, wenn nicht Beifall, doch Entschuldigung finden.